





78

DISPUTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,  
DE  
**NATURA.**

QUAM

SUMMO AUXILIANTE NUMINE,

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS HOORNBEEK, S. S. Theol.  
Doct. ejusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd. Bat. Professoris celeberrimi, ibidemque Ecclesiae Pastoris vigilantissimi,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Almae Facultatis  
MEDICÆ decreto,

Pro Gradu DOCTORATUS, summisque in Medicina  
honoribus, & Privilegiis rite consequendis,

Publico Examini subjicit

BURCHERUS de VOLDER, AMSTEL-BAT.

Ante diem III. Julii, loco horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud SEVERINUM MATTHIÆ, 1664.

236

B1.

78



*Clarissimis, Spectatissimisque*  
VIRIS,

**D. FRANCISCO de le  
BOE, SYLVIO,**

Medicinæ Doctori, ejusdemque  
Facultatis in Academia Lugd.-Bat.  
Professori, Promotori, & Precepto-  
ri suo omni honore prosequendo.

**D. JOHANNI HUDDE,**  
Philosopho, & Mathematico in-  
comparabili.

*Hasce Theses in grati animi testimonium.*

D. D. D.

BURCHERUS de VOLDER.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
D E  
N A T U R A .

§. I.

**V**no ore confitentur omnes, ex incertis nihil certi, ex falsis nihil veri deduci posse, omnesq; proinde artes ac scientias, si unquam in iis aliquid firmi, & certi cognoscere velimus, certis & nulli dubitationi obnoxiiis fundamentis superstrui oportere. Quod tamen paucissimi earum aut inventores, aut propagatores, imo præter Mathematicos pæne nulli præstiterunt. Hi quippe primum in fundamentis certis inveniendis, iisque inventis in quibusdam ex illis deducendis laborarunt. Reliqui verò quædam non satis demonstrata pro fundamentis assumerunt, iisque suppositis omnia sua forsitan cum ipsis fundamentis ruitura, exinde, saepe etiam per consequias non satis solidas, deduxerunt. Unde & factum est, ut artes Mathematicæ ad tantum perfectionis fastigium sint elevatae, ad quod alias unquam perventuras optare quidem, at sperare vix licet; Tot enim sæculis tam parum illæ profecerunt, ut hoc tempore, quo homines dubitandi artem magis, quam prioribus sæculis callere inceperunt, aliisq; fine ratione credendi vitium magis abjecerunt, inter earum Professores, non tam de conclusionibus ex principiis deductis, quam de ipsis principiis quæstio sit.

§ II. Cujus rei, ut in omnibus aliis scientiis, sic in Medicina illustrè habemus exemplum. In ea enim præter experimenta vix aliquid à ratione petitum certi invenire est. Nec mirum, cum illi, qui experientiæ (qua sola contenti erant Empirici, qui suam in causis lœsuarum functionum, & symptomatum inde orientium dandis ignorantiam ingenuè confiteri non erubescabant) rationem adjungere velle videbantur, ac ideo Dogmatici vocabantur, ab ore Medici pendenti vulgo, ut aliquid scire viderentur, fundamentorum loco, obscura quædam & incerta, ex quibus suas postea deducebant ratiocinationes, obtruse-

rint. Quod facile paret ei, qui consideraverit, supposuisse illos in nobis dari Naturam aliquam omnium functionum causam, & cui omnia illa effecta in nobis observata, quorum causas ex iis, quæ in corpore nostro existere per Anatomen edocti erant, explicare non poterant, attribuebant, cum tamen illi ipsi Naturæ ejus essentiam se ignorare confiteantur. Sic enim ex Galeni lib. de Format. fætus Fernelius l. II. de abditis rerum causis cap. III. Nemo tam stolidus est, qui non intelligat quandam generandi fætus causam esse, quam omnes Naturam appellamus, quæ ejus sit substantia, ignorantes.

§. III. Qua in re similes mihi videntur illis, qui cum Horologium quoddam artificiose ex multis rotulis tum majoribus, tum minoribus vario modo agitatis conflatum aspiciunt, effecta, horas sc. monstratas, vident, & præterea Horologium illud penitus considerantes, rotulas quasdam ex maximis observant, minores vero, quæ forsan plus ad Horologii constitutionem faciunt, non animadvertunt; ideoque modum, quo & totum Horologium, & singulæ ejus partes moventur, seque mutuo in motum concitant, non comprehendunt, exinde vellet concludere in illo Horologio, aut in parte ejus, quam putarent primariam, residere Monstrum aliquod, quod omnes rotulas moveat, earumque motum regat, & gubernet, omniumque proinde effectorum vera causa sit, οὐλογον quidem, sed tamen ratione prædictum, materiale, cui tamen immaterialia effecta tribui sine damno veritatis possint. Tale enim quid esse Authorum Naturam, facile ex ipsis probari potest. Αὐλογον enim eam esse, & materiale confitentur omnes, cum ab anima, quam solam & rationalem, & immaterialem constituunt, eam distinguant. Rationem vero, & immaterialia effecta plurimis in locis ei attribuunt. Sufficiat nobis unus aut alter Fernelii locus, Etenim, inquit, Method. med. I. l. C. I. humanae vitæ moderatrix Natura, cuncta quam optime potest administrat, idque assidue molitur, ut corpus in extreman usque vitæ periodum integrum, aut quam saltem ortu accepit sanitatem conservet: & si qua id forte extrinsecus injuria laceretur, eam pro viribus propulset. Et Phys. l. IV. C. VII. Etenim, Natura sc., ne frustra condidisse videatur, edito illa operi in omni vita insidet, id nunquam deserit, sed ejus gubernacula tractans, partes omnes in suum quamque opus ducit & concitat, ut illa ipsa simul omnium functionum causa censi debent. Quæ loca, cum in iis actiones propter finem, quæ necessario agens ratione prædictum presupponunt, Naturæ attribuantur, aperte id quod dixi, eyincunt.

§. IV. Ut

§. IV. Ut autem hi, qui in Horologio, alioque automato humana arte confecto, tale quid fingerent, & per id effectorum istius Horologii causas reddere vellent, nihil agere censerentur; sic & illi, qui nostri corporis, quod mirabili artificio à Deo O. M. constructum est automatum, functiones per Naturam quandam explicare conantur, merito ignorantiae suæ asylum querere videntur. Quod tamen cum agant omnes Medicinæ Scriptores operæ pretium me facturum existimavi, si quid per Naturam intelligendum, quidque in corpore nostro, quod eo nomine insigniri debeat, sit, inquirerem. Quod ut fieri, non putem me recta Methodo usursum, si variorum Authorum definitiones allegem, & ex iis Naturæ essentiam expiscari velim. Illæ enim, aut nihil nisi effecta Naturæ recensent, ut cum Natura dicitur Aristotelis, principium motus, & quietis, & Fernelio Phys. l. iv. C. vii. vis prima & causa per se nostri opifex & conservatrix. &c. aut tam obscuræ sunt, & ex terminis tam obscuris concinnatae, ut, si non sint obscuriores definito, pro æque obscuris non injuria haberi debeant, ut cum Fernelio definitur Essentia Naturæ sive Calidi Nativi, quæ ei unum idemque sunt, Humidum primigenium in situ spiritu, & calore undique perfusum. Sed rectius me facturum arbitror, si Naturæ ab Authoribus attributa effecta recensem, eorumque causam investigem: Illam enim pro Natura habendam nullus dubito.

§. V. Inter innumera autem, quæ Naturæ ascribi solent effecta, primaria, & ad quæ ferme omnia alia deduci possunt, ab Authoribus recensentur, quando dicunt: I. Naturam esse nostri corporis opificem, & conservatricem. II. Naturam esse omnium functionum causam. III. Naturam morbos curare, juxta illud Hippocratis, νύστας εὐθεῖς οἰνοῖς. Quibus, quia huic postremo effecto inserviunt, adjungemus, IV. Naturam ad morbos curandos febres excitare. V. A Natura omnia medicamenta in actum deduci. VI. Naturam affuescere medicamentis. Reliqua vero minoris momenti effecta, cum ex allatis essentia Naturæ sati determinari queat, ob brevitatem non attingemus, hæc vero ordine investigabimus.

§. VI. Ex his autem effectis paret: I. Naturam non in partibus externis querendam esse. Cum enim Natura pro maximarum mutationum, quæ in corpore nostro fiunt, causa habeatur, nemo tale quid in partibus musculosis soli motui, & quidem passime tantum inservientibus facile queret, aut si querat, inveniet. II. Eandem nec in visceribus, sed in partibus contentis consistere. Viscera enim, si

quis consideret , aut cavitates tantum præbent , in quibus Contenta vel retineantur , vel per quas moveantur , ut Ventriculus , Intestina , Vesica fellis , Vesica urinaria , Cor , Pulmones , &c. aut in iis aliquid fecernitur à sanguine , vel sanguini aliquid admiscetur , ut sit in Hepate , Liene , Renibus , Pulmonibus , Cerebro , Glandulis tam conglobatis , quam conglomeratis , &c. ita ut viscera vix ullam in corpore nostro mutationem , nisi quatenus humores immutant , facere , Humores vero mutatos maximas mutationes immediate producere videantur . Quod sane nemo inficias ibit , qui plerosque morbos à contentis non recte se habentibus excitari , iis vero correctis tolli , mortem non nisi illis vitiatis inferri , illa ipsa sine præsentí vitæ periculo non posse aut in totum , aut maxima ex parte expurgari , ut paret in Cholera morbo , ~~υπηραθόντι~~ , nimia Hæmorrhagia , &c. & denique in defunctorum cadaveribus plerumque vix ullam in partibus continentibus noxam , aut saltem vix talem , ut mortem inferre queat , inveniri consideraverit . III. Naturam non in omnibus contentorum mutationibus , sed in primaria , & maxime generali sitam esse . Cum enim generalia sint , quæ à Natura fieri dicuntur , effecta , & primario ad corporis nostri conservationem faciant , ipsam etiam causam talem esse necesse est .

§. VII. Quibus præmissis ad ipsa Naturæ effecta nos accingamus , quorum primarium est , quod sit nostri corporis & opifex , & conservatrix . De opificio vero , & de modo , quo illud fiat , & de causa , quæ opus producat , cum ne hariolari quidem aliquid liceat , malim tacere , quam illa , quæ ignoro , dicere . Conservatio autem in duobus consistit ; Conservatur enim corpus nostrum , vel quando illud ipsum in bona valetudine constitutum , eo in statu retinetur , vel quando in morbos delapsum ad bonam valetudinem reducitur , sive in vita conservatur . Posteriorem conservandi modum variis aliis terminis expresserunt Medici , ut cum Naturas medicos morborum vocant , materiae morbificæ coctionem & expulsionem , &c. ei attribuunt , de quo proinde agemus postea . Prior vero , quatenus opus Naturæ est , in sola consistit Nutritione . Ut enim corpus in bono statu positum , in eodem retineatur , nullo alio opus est , quam ut omnibus ejus partibus tam continentibus , quam contentis , illud , quod continuo absumitur , restituatur . Quæ functio omnibus Nutritionis nomine venit . Quæ cum vix sine primiarum functionum causis , quæ nobis in secundo Naturæ effecto inquirendæ sunt , explicari possit , causas duorum horum effectorum simul scrutabimur .

§. VIII. Ad

§. VIII. Ad Nutritionem igitur, Nutritionisque materiam corpori nutriendo aptam reddendam tres præcipue præviae sunt præparations I. Quæ fit in ventriculo II. Quæ fit in intestinis III. Quæ fit in corde. Cibus enim primum ore debet assumi, in eodem, si solidus sit, masticari, & Saliva imbui, & per cesophagum ad ventriculum propelli, ut in eo per aliquod tempus hærens opere Fermenti, quod vel ex ipsa Saliva continuo deglutita, vel ex reliquiis alimentorum in ventriculo hærentibus, & acescentibus, vel ex hisce simul junctis præparatur, excitata fermentatione, omnes ejus partes ad faciliorem à se invicem secretione disponantur, & in massam pultaceam redigantur. Quæ massa peracta fermentatione propellitur ad intestina, & in iis, partim per actionem illam, quam & in se mutuo, & in Chylum exercent bilis & succus Pancreaticus, partim per intestinorum motum Peristalticum, à scum materia partes ejus utiles separantur, perque mucosam intestinorum crustam in venas lacteas transcolantur, per quas moventur ad Ductum Thoracicum, in quo cum Lympha ab inferioribus partibus refluat permiscetur, & cum eadem ad venam subclaviam, tandemque ad Cor feruntur, ibidemque in sanguinem commutantur, corporique nutriendo redundunt idoneæ. Ita ut Sanguinis proximum & immediatum nutrimentum Chylus, reliquarum vero partium, nisi de lacte forsan dubium quis movere velit, Sanguis sit. Illa autem Chyli in corde mutatio, cum ultima & primaria sit ex iis, quæ ad Nutritionem requiruntur, præparatio, hic accuratius investiganda erit.

§. IX. Quod ut fiat, consideremus, quanam in corde fieri per experientiam innotescant, quibus notis ex causis eorum nos faciliter extricare poterimus. Concurrit igitur. I. In dextro cordis ventriculo sanguis per venam cavam ascendentem ad cor delatus, & Lympha, nonnunquam etiam Chylo imprægnatus. Eodem confluit, II. Sanguis à partibus inferioribus per venam cavam descendenter refluxus. III. Ex eo confluxu rarefit, & incalescit sanguis in dextro cordis ventriculo. IV. Sanguis ex dextro cordis ventriculo propellitur in pulmones, & in iis ab aëre inspirato alteratur. V. Denique sanguis ex pulmonibus refluit ad sinistrum cordis ventriculum, ibidemque novam rarefactionem, & calorem concipit, donec ex eo propulsus ad omnes deferatur corporis partes. Quorum effectorum causam Veteres more consueto res incognitas, obscuris terminis, tanquam cognitias explicandi, Innatum in nobis Calidum esse censuerunt. Recentiorum vero Mechanice magis rem explicare conantium, quidam Fer-

mentationem, quidam vero *Effervescentiam*, pro eorum causa assignarunt. Qui quidem nominibus discrepare, sed tamen rem eandem, quamquam diversis terminis, dicere mihi videntur. Piores enim *Fermentationis* nomen tam late sumunt, ut sub ea, illam mutationem, quæ aliis *Effervescentia* dicitur, comprehendant, imo eam *Fermentationis* speciem, quæ *Effervescentia* vocatur, in corde fieri afferunt. Sic enim hujus sententiæ, aut inventor, aut propugnator *Nobilissimus Descartes Epist. LII. T. I.* Il me semble que toute la chaleur des animaux consiste en ce, qu'ils ont dans le cœur, une espece de feu, qui est sans lumière, semblable à celuy qui s'excite dans l'eau forte, lors qu'on met dedans assez grande quantité de poudre d'acier, & à celuy de toutes les fermentations. Videtur mibi omnis animalium calor consistere in eo, quod habebant in corde speciem quandam ignis non lucidi, similis ei qui excitatur, quando in aquam fortē satis magna quantitas limaturæ chalybis injicitur, & ei qui est in omnibus fermentationibus. Sic & Clariss. D. Hogelande in *Economia Animalis* p. LXXXI. Cum itaque, inquit, sanguinis in cor influxum, similis vel analoga isti, quam spiritus nitri in butyrum antimonii infusus excitare solet, rarefactio, ac effervescentia sequatur, &c. Quæ mutations tum aquæ fortis limaturæ Chalybis affusæ, tum spiritus nitri butyro antimonii additi, stricte dictas effervescentias esse, nemo est qui non norit.

§. X. Malim tamen cum Clarissimo Viro D. Francisco de le Bœ Sylvio, Praeceptore meo in æternum venerando, illa duo, et si efficienti causa forsan non differant, de quo jam non disputo, materia tamen, effectu, & modo agendi longe diversissima à se invicem distinguere, ne ex nominum confusione etiam rerum oriatur confusio. Illis autem, quibus dictum, modis, fermentationem differre ab effervescentia facile probari potest. Et Primo quidem ratione materiæ, quia in omnibus effervescentiis hactenus not s semper adsunt duo, acidum nempe & salsum, & quia iis simul junctis semper oritur effervescentia, quod in fermentatione locum non habet. Secundo ratione effectus, in fermentatione enim ea ipsa, quæ fermentantur ad partium suarum secretionem disponuntur, sic Mustum, ex quo frustra spiritum expectes, ubi fermentatum fuerit, præter fæcum, & Tartari à vino secretionem spiritum dabit facillime, & ita quidem, ut si dolium non arctissime clausum servetur sponte avolet, quod suo cum damno experiuntur illi, qui relictæ vase non bene clauso pro vino generoso vappam acquirunt. In effervescentiis vero illa ipsa quæ effervescent tam arcte uniri testantur Chymicorum filii, ut si puriora fuerint, à se invicem vix ulla arte separari

parari queant. Tertio denique ratione modi, quo illa duo fiunt, quia fermentatio lente fit, & minore cum vehementia, *Effervescentia* vero statim ac acidum falso conjungitur, oritur, & mox iterum desinit.

§. XI. Ex quibus fermentationis, & effervescentiae differentiis, concludi potest, causam hujus in corde mutationis non Fermentationi, sed effervescentiae ascribendam. Quippe in dextro cordis ventriculo subita fit sanguinis rarefactio, subito oritur calor, quod in effervescentiis fieri plurima evincent experimenta. Quod magis confirmatur, si acidum, & falso huc concurrere ostendamus. Ex una enim parte concurrit sanguis, cum quo Lympha est permixta, quam acidam esse probabile facit omnium ferme Glandularum congregatarum similis constitutio, in quarum tamen quibusdam acidum separari evincit Gravido. In ea enim affectas esse Glandulas ostendunt in iis, qui saepe hoc affectu obnoxii fuere, observatae post mortem in plexu choroide tumescentes Glandulæ, in quibus tum acidum separari manifestum facit sapor ejus liquoris, qui per nares effluit, acido-falsus. Quibus addere licet, quod à quibusdam ipsa Lympha reperta fuerit acida. Ex altera vero parte si bilem ad sanguinem ferri constaret, paterent illa duo inter quæ effervescentia fieri posset. Bili enim sal volatile inesse, sufficienter docet experientia. Illius autem ad Cor motum probare videntur Vix per ductum biliarum Hepaticum satis patentes, & motui liquoris à Vesicula fellis ad cor non obstantes, quod liquoris in ductum biliarum Hepaticum per siphonem immisso ad Cor & ultra illud transitus, clarum reddit. Vidi præterea injectam in eundem ductum aquam, illamque non, ut solet, & ut saepius in Nosocomio ostendit Vir Experientiss. D. Franciscus Sylvius &c. exiisse ex gibba Hepatis parte Diaphragmati adjacente, ubi eum in finem erat facta laesio, sed venam implesse umbilicalem. Certo indicio dari ex ductu bilio transitum in venam Portæ, ex qua prodire vasa illa umbilicalia, constans est omnium Anatomicorum, & experientiæ consentiens sententia. Quod mihi non minimi momenti experimentum esse videtur, ad motum biliis versus cor confirmandum. Si enim in venam Portæ definat hic ductus, ex ea sane, juxta circulationis leges, nihil educet, sed contentum suum sanguini in vena portæ existenti, & versus cor moto admiscebit. Quod si ita fiat, facile effervescentiam inde deducere est. Concurrent enim in cordis dextro ventriculo duo ad effervescentiam requisita acidum nempe, & falso, adsunt ibidem effervescentiae effecta, calor & rarefactio, ex quibus & ipsam

*effervescentiam* adesse non immerito concludimus.

§. XII. Sanguis igitur in dextro cordis ventriculo effervesces ex eodem cordis contractione per Arteriam pulmonalem propellitur in Pulmones, in quibus calor ejus ab aëre inspirato aliquantulum refrænatur, donec ex Arteria in venam Pulmonalem transiens per eam deferratur in sinistrum cordis ventriculum, in quo de novo rarefactionem & calorem acquirit. Quæ sane rarefactio, à qua causa fiat difficile est explicatu. Suspicio tamen in dextro cordis ventriculo sanguinem tum biliosum, tum Lymphaticum ob breve temporis spatium, quo in eo hæret, non totum cum toto permisceri, sive non omnes partes acidi attingere omnes partes biliosi, sed quasdam tantum hujus particulas age-re in quasdam particulas illius, ac proinde quasdam tantum simul effervescere. Cum enim tam brevi temporis spatio ibi moretur sanguis, vix fieri potest, ut omnes ejus particulae se mutuo commisceantur, sed facile continget, quasdam partes tum acidi tum biliosi non effervescentes transfire ad Pulmones, in quibus vix etiam concurrere poterunt, quia ob angustiorem vasorum cavitatem longius à se mutuo disgregantur, ubi vero ad sinistrum cordis ventriculum pervenerint, cum in eo amplius ipsis detur spatium, fieri non ita difficulter potest, ut intestino illo motu, quem in vasis retinet sanguis, quædam acidi partes, quæ antea salinas bilis particulas non attigerant, aliis bilis partibus, quæ etiam acido nondum junctæ fuerant, occurrant, novamque *effervescentiam* & rarefactionem, sed minorem, quam in dextro cordis ventriculo facta erat, ob pauciores tum acidi, tum biliosi effervescentes particulas, excitent.

§. XIII. Quæ, antequam sanguinis ex Chylo confectioni applicemus, consideranda venit ipsa *Natura Chyli*. Quamobrem notanda sunt. I. Omne alimentum qua alimentum nulla corpus nostrum immutandi vi præditum esse oportere. II. Illud variis constare debere partibus, *viscidis*, *oleosis*, *salsis*, *acidis*, *spirituosis*, *aqueis*, & *terreis*. Cum enim tum Pituitæ, quæ viscida est, tum Bili, quæ oleo, & sale constat, tum Lymphæ, Succoq; Pancreatico aciditate præditis, tum Spiritibus animalibus, & Sero, quorum hoc aqua, illud vero Spiritu abundant volatili, tum denique partibus Solidis, in quarum quibusdam multum terræ inest, restaurandis inservire debeat, talibus etiam partibus constet necesse est. Nec sufficit illas partes alimento inesse, nisi præterea illa proportione, qua eadem in nostro corpore reperiuntur, insint. Hæc enim conditio si deficeret, non jam simpliciter alimenti, sed aut alimenti

alimenti medicamentosi , aut Veneni nomen acquireret , cum ex tali alimento alia proportione , quam qua antea aderant , restituantur in corpore humores , ac proinde mutatio in eodem fiat . III . Denique illas partes tali modo in alimentis connexas esse oportere , ut primo in ventriculo fermentari , ibidemque ad partium suarum secretionem disponi , ut secundo in intestinis partes utiles ab inutilibus segregari , & denique ut tertio , in corde in bonum sanguinem , hoc est , in liquorem rubicundum , cuius partes aptæ sunt , ut singulas corporis partes nutritant , converti queant . Aptæ autem sunt corpori nutriendo omnes ejus partes , si ita sibi mutuo cohærent , ut cum ad organa ei operi destinata pervenerint , commode à se invicem separari possint .

§ . X I V . Alimenti igitur tali modo constituti , postquam illud duas priores mutationes passum fuerit , & in Chylum commutatum cum Sanguine Lymphatico ad cor devenerit , & in eo cum sanguine bilioso effervescat , omnes partes simul in motum concitantur , à se mutuo magis divelluntur , partibusque sanguinis magis permiscetur , & pro varia partium Natura variam etiam patiuntur mutationem . *Viscida* enim , tum ab illa agitatione , qua partes *Viscidi* sibi mutuo adhærentes à se invicem abstrahuntur , tum ab illis ipsis quæ effervescentiam illam excitant , acido nempe , & falso , quæ vim habent incidendi & attenuandi viscida , inciduntur , permisceturque præterea aqua , vel sero , cumque eo per vasa deferuntur , unde visciditatis suæ vix ullum in sanguine dant indicium . *Oleofæ* vero partes hoc motu concitatæ facile inflammantur , caloremque illum , qui in omnibus animalibus perfectioribus observari solet , producunt , iisque , quas in sanguine inveniunt , particulis , quibus facile adhærere possunt , quales sunt terreæ & salinæ , iis enim pinguia non difficulter admisceri solent , agglutinantur . *Salsæ* vero partes partim sero , ut ex urina patet , partim oleo , ut jam dictum est , partim etiam acido junguntur . In omnibus enim *effervescentiis* acidum falso unitur , si pura sint , intime , si vero , ut in nostro corpore fit , impura , hoc est , partibus oleosis , aqueis , spirituosis permixta , laxius , ita ut pro vario puritatis vel impuritatis gradu penitus vel laxius uniantur . *Acidum* vero , præterquam quod sali , ut jam dictum est , conjungatur , simul cum eo ab aqua dilui , & eâ misceri aptum est . *Spiritus* vero cum facile Levi calore exhalent & volatiles fiant , ex illo , qui in corde fit , calore , ita præparari putem , ut nisi vasis continerentur facile in auras abire possint , in quibus , quamdiu existunt præcipue aqua misceri

existimem. Non enim aut sali aut acido, tam brevi tempore conjungi possunt, ab oleo vero, terrenisque partibus ob majorem quam in iis est volatilitatis vim facile separantur. *Aqua* omnibus ferme præterquam oleo admisceri potest. *Terra* vero, quibus jungatur ex hisce est manifestum. In quibus mutationibus, quas apta esse, ut patiantur, quæ ibi concurrunt experientia docet, præcipuam Sanguificationis partem consistere suspicor, quæ quoque citius absolventur, quia similes in sanguine præexistunt partes, quæ proinde facilis Chylum in similem sibi substantiam commutare valent: sic enim si Balsamo sulphuris jam confecto novum addatur & sulphur & oleum, facilis illa duo in balsamum abibunt, quam si de novo balsamum conficiatur. Notandum tamen has omnes partes non ita misceri his vel illis, quibus diætum est, particulis, ut nullæ earum aliis etiam confundantur, sed pri-mario quidem his, secundario vero ope earum, quibus commisceri aptæ sunt, & quæ interim aliis etiam commode jungi possunt, etiam reliquis diversæ specie particulis conjungi, pro varia earum Natura vel penitus vel laxius; quam ad rem non minimum momentum confert intestinus ille particularum sanguinis motus, quem in vasis retinente, qui & efficit, ut omnes hæ partes confusæ unam quasi massam constituant, cum eo motu destitutus sanguis in varias partes, serosam puta, caseosam, & butyrosam abire soleat. Hac igitur mutatione in dextro Cordis ventriculo instituta Chylus jam maxima ex parte in sanguinem mutatus una cum eo tendit ad pulmones, & inde ad sini-strum cordis ventriculum, in quo iterum excitata eo, quo diximus, modo, effervescentia, agitantur & commoventur ejus partes, eaque operationes, quæ in dextro incepérant, perficiuntur in sinistro, in quo Chylus plane in sanguinis Naturam abit, nisi quod quædam ejus par-tes non satis hisce mutationibus ad Nutriendum corpus factæ idoneæ, per Venas ad cor refluentes iteratis in eodem effervescentiis amplius perficiantur, donec plenam perfectionem acquisierint.

§. X V. Ex sinistro porro Cordis ventriculo jam confectus sanguis, quaquaversum æquali propellitur impetu, & pro variis, quibus in singulis partibus occurrit, organis, varium aut continentibus aut conten-tis Nutrimentum suppeditat. Facile quippe fieri potest, ut sanguinis ad partium solidarum substantiam delati, & per eam, ut multa evin-cunt experimenta, transcolati, quædam particulæ pro pororum qui-bus occurunt varietate, varia, poris partium adhærent, eaque à Sanguine continuo affluente, quia motui ejus, poris nempe per quos transire.

transire debet angustioribus factis, impedimentum inferunt, ulterius in eam propellantur, siveque parti illud ipsum, quod continuo desperditur, restituatur, eaque proinde Nutriatur. In illis autem corporis partibus, in quibus praeter solidæ substancialæ Nutritionem, liquor aliquis à sanguine separari solet, alia præterea mutatione opus est. Ad cerebrum quippe ubi pervenit sanguis, per ejus superficiem, ubi maxima apparent vasa, cum in ejus substantia valde exilia soli forsan Nutritioni inservientia sint, movetur, ibidemque parte sua spirituosa privatur. Ea enim, cum, ut suspicati fuimus, soli aquæ & quidem laxetantum inhæreat, facile per pingue ejus substantiam relicta parte aquæa, transcolatur, Spiritusque constituit Animales. In Glandulis autem tam conglobatis, quam conglomeratis sanguis suum ex parte amittit acidum fero plus minusve permixtum, ex quo sp. animalibus per Nervos ad Glandulas delatis mixto Lympha constituitur. Non putandum tamen in omnibus Glandulis eundem separari succum, cum satis notabilis inter succos appareat differentia, & præcipue quidem in Glandulis Conglomeratis. In Conglobatis enim, cum illæ liquores ab ipsis præparatos in eundem ductum effundere soleant, Conglomeratae autem, liquores suos per proprium ductum in cavitatem notabilem nostri corporis deponant, illa differentia, si quæ sit, non ita facile observari potest. Notabilem autem in liquoribus à Glandulis conglomeratis præparatis esse diversitatem manifestum reddunt *Succus Pancreaticus*, & *Saliva*. In illo enim major appetit aciditas, cum hæc naturaliter insipida sit, quod inde fieri existimem, quia in Glandulis salivalibus praeter serum, & acidum majori copia à sanguine separantur partes viscidæ, quæ aciditatem obtundunt. Viscidam enim *Salivæ* inesse materiam, ex eo constat, quod si per aliquot dies in vase relinquitur in viscidam materiam abeat, quod etiam sit eadem deglutita, & in intestinis hærente dissipata, aut per venas lacteas ad cor delata parte ejus aquæa. Idem sanguis in vesicula fellis partes oleosas, & salinas simul junctas, bilem, in Renibus, *Salem aqua* mixtum *Urinam*, constituentes relinquunt, siveque omnibus tam continentibus, quam contentis nutrientis inservit.

§. XVI. Ad Nutritionem igitur faciunt, praeter rectum rerum nonnaturalium, quæ ad Naturæ constitutionem nihil conferunt, usum,  
*I. Fermentatio* quæ fit in *ventriculo*. *II. Secretio illa* quæ fit in *tenui intestino*. *III. Sanguinis in Corde effervescentia*. *IV. Denique singularum, quæ nutritur Partium, & organorum recta constitutio*, in quorū proin-

de aliquo *Naturæ* constituenda est *Essentia*. Non autem in singularum partium constitutione , cum illa in singulis partibus varia sit & unaquæque uni tantum aut partis, aut humoris Nutritioni conferat; *Natura* vero pro generali omnium partium Nutritionis causa habeatur. Reliquarum vero mutationum cum primaria sit illa, quæ in corde fit *effervescentia*, magisque generalia, quam priores duæ mutationes producere possit effecta , imo præter partium singularum dispositionem immediata Nutritionis causa sit , eam ipsam, quantum ex his duobus *Naturæ* effectis colligere licet, pro *Natura* habendam existimem.

§. XVII. Tertium ex primariis *Naturæ* operationibus effectum est, *Morborum curatio*. *Morbos* autem curare dicitur *Natura*, quando ægrinullo affumto medicamento , sola *Diæta* pristinæ sanitati restituuntur. *Morbos* vero cum infiniti ferme sint, & à se invicem non tantum diversa, sed insuper contraria habeant Symptomata , non ab eadem causa oriri, nec ab eadem curari posse facile erit judicatu. Omnes autem & quid in singulis peculiare sit tum in *Symptomatis*, tum in causis, & curatione, recensere nostri instituti terminos excederet, sed cum primarii morbi, imo forsitan omnes, qui à *Natura* curari possunt, & primariæ in iis mutationes ab humoribus in nostro corpore vitiosis dependeant, ex eorum vitiis, vitiorumque curatione, quid *Natura* sit, indagare conabor. Duobus autem præcipue modis morbos curat *Natura*, vel sola *alteratione*, in iis imprimis morbis, in quibus humores non tam abundantia , quam prava qualitate peccant, vel *evacuatione* varia per *alvum*, *vomitum*, *sudores*, *varias cutis efflorescentias*, *urinas*, *salivationem*, *Hæmorrhagiam*, &c. Quæ evacuationes, si in morbis acutis accidunt, eosque current, *Crises* vocantur.

§. XVIII. Recensenda igitur nobis primaria singularum humorum vicia, & quomodo ea sine medicamentis currentur, inquirendum. Et Primo quidem *bilis* peccat primario, vel nimia *acrimonia*, vel nimia *pinguedine*, vel nimia *abundantia*, vel hisce tribus simul junctis. Quibus cum laborat viciis, appetitum prosternit, cruditatem nidorosam parit, sitim excitat , Choleram morbum , Diarrhæam , febres ardentes, calorem in intermittentium febrium paroxysmis , omnes denique morbos acutos, in quibus simul & calor observatur, procreat. Vel etiam minori & *acrimonia* & *pinguedine*, quam decebat, prædicta est, minorque ejus, quam naturali in statu fieri debebat, adest *copia*. Quo modo *cæliacam passionem*, & inde orientem *tabem* producere posse ostendit Historia juvenis cujusdam in Nosocomio publico

publico ante quinquennium circiter decubentis, qui cibum bene appetebat, nullam eo assumto gravitatem, aliamve molestiam, ex qua *Fermentationem* lœsam esse dignosci potuisse, sentiebat, & interim, quia chyli partes utiles ab inutilibus non segregabantur, sed simul permixtæ per alvum excludebantur, contabescebat, quod à bile minus acri factum fuisse ex curatione, solo exhibito *vino absynthite*, quod sale suo volatili, & oleoso bilem restituere potuit, intra breve tempus peractâ, patuit. Quæ bilis vitia, & inde orti affectus, si non nimis à naturali statu recesserint, sola Diæta in priori *Bilis* vitio hoc modo instituta, curari poterunt: Si videlicet utatur æger aëre frigidore, nihil, aut parum, & quidem tale quod facile fermentari possit, comedat. Ab Exercitiis, Animi affectibus, Ira præsertim abstineat. Aër quippe frigidior ad bilis conferet temperationem, Abstinentia ab exercitiis, & ab Animi affectibus impediet, ne bilis aut acrior reddi, aut magis commoveri queat. Inedia vero, & pauca assumpta alimenta efficient, ut acidum illud, quod in Saliva est, succoque Pancreatico, & Lympha, quod alias in cibos assumtos, Chylumque inde ortum agens, obtunditur, multumque amittit virium, toto impetu in bilem agere possit, eamque temperare, succus quidem Pancreaticus eam, quæ ad intestina, Lympha vero eam, quæ ad cor defertur.

§. XIX. Cum autem *Natura* in morbis curandis vis in *Febris* continuis imprimis celebrari soleat, (in illis enim *materiæ morbificæ conditionem*, & *expulsionem* ei attribuunt, ipsiusque ad bellum morbo inferendum *præparationes*, & ipsam inter duos illos Athletas pugnam satis eleganter describunt,) quid in iis accidat examinare opera preium duxi. *Febris* autem *continuas* primario à bile dependere calor earum evincit, quamquam pro aliis humoribus simul in corpore existentibus varia habeant symptomata. *Bilis* igitur ex Folliculo fellis, & acrior, & copiosior, & copiosiori, quam decebat pinguedine abundans ad contendit, & in eo cum acido effervescent calorem producit nunc maiorem, nunc minorem, prout bilis magis aut minus acris, pinguis, aut copiosa est. In principio autem *mali*, quia purior existit bilis, quantum per acidum impurum licet, eidem unitur penitus. Reliquæ vero in sanguine partes, *viscidæ*: puta, *serosæ*, *spirituosaæ*, &c. tum ob celerem nimis sanguinis ex Corde effluxum, tum quia bilis & acidum in se mutuo magis agentia, illas non ita immutant, debitam *præparationem*, quæ in eo consistit, ut partes omnes iis, quibus. §. xiv. dictum est, conjugantur, & ab aliis magis segregentur, siveque omnes.

mnes simul laxe confusæ in Sanguine subsistant, non acquirunt; imo nimia illa partium agitatione & motu, majorique inde orta rarefactione partes Sanguinis omnes ita confunduntur, ut unam massam synceræ humorum secretioni inhabilem constituant. Unde & serum quod à Sanguine in Renibus separatur bile saturatum rubicundiore colore præditum appetet. In augmento vero mali cum bilis majori adhuc copia ad Cor movetur, majoremque eadem de causa humorum conturbationem efficit, majoraque producit symptomata, urina non jam clara, sed confusa & perturbata existit. Quo tempore coctionem, suamque cum morbo pugnam aggredi dicitur Natura. Postea vero, ubi non amplius tanta copia ad sanguinem fertur bilis, à sero, acido, spirituoso, si saluti ægro morbus sit futurus, aliquatenus temperatur, tum illa bilis, quæ in sanguine existit intemperata, tum quæ ex folliculo fellis continuo movetur ad sanguinem. Cui rei non minimum confert, ut diximus, Inedia aut alimentorum parcior assumptio; unde tum melior ratione bilis, & acidi oriri solet effervescentia, à qua confusæ sanguinis partes magis commutantur, & sanguis ad meliorem suarum partium secretionem disponitur. Cujus sane non leve indicium exhibet in Urinis subsidens sedimentum. Significat enim, illam materiam quæ sero prius erat confusa, nunc ita in sanguine esse dispositam, ut facilius à sero separari queat. Quæ cum fiunt, Status adest, aut principium quasi declinationis. Quod si vero ab acido, aquo, & spirituoso non ita temperetur bilis, ut commoda fieri possit secretio, sensim magis magisque infringitur acidum, augeturque acrimonia biliosi, donec tandem plane oblitterato acido, bilis non inveniens, cum quo possit effervesescere, totam sanguinis crasim dissolvat, ægrumque in perniciem præcipitet.

§. XX. Quod si sanguine jam ad secretionem disposito bilis, loco ejus quod antea in sanguinem deferebatur, feratur & acrior & copiofer ad intestina, ibidemque in Succum Pancreaticum Pituitamque agat, facile alvifluxum excitabit. Quod sane mirabitur nemo, qui consideraverit ut plurimum alvifluxus causam esse bilem. Quod evincent excreta biliosa, sitis, amaror oris, febris, aliaque alvifluxui conjungi solita symptomata. Ex illo autem vitiosorum humorum confluxu halitus, iis qui à purgantibus elevari solent similes ad sanguinem deferuntur, & in eo similem quoque ei, quæ à Purgantibus fit, mutationem inferunt, qua humor biliosus ab aliis, quibus permisceatur, par-

tur, partibus disjungitur, majorique proinde copia in vesicula fellis à sanguine separatur, & ad intestina per alvum evacuandus defertur. Qua evacuatione ab ipsa bile excitata tollitur ejus abundantia, sicque malum ab ea ortum curatur. Quod si vero bilis à fero, acidoque non ita temperata sit, quin adhuc sufficientem vim habeat ipsa vasa erodendi, facile fiet, ut vasa præsentim capillaria ab ea erodantur, iisque erosio, si talia sint, ut in cavitate, quæ extra corpus exitum habeat, aperiantur, una cum sanguine bilis per *bæmorragiam* evacuetur, sicque malum tollatur: si vero in partium substantia erosa vasa desinant. *Inflammationes* febribus sæpe supervenientes, ut testantur practici, pariat. Illa vero *bilis*, si temperatur quidem existat, aliquam tamen acrimoniam retineat, facile, cum totum sanguinem tenuiorem efficiat, illumque ad partium ipsius secretionem dispositum habeat, *sale suo volatili*, in quo vim & sudoriferam & diureticam consistere docent Sudorifera & Diuretica dicta medicamenta eo sale abundantia, *sudores*, vel *urinas* movebit, & per eas vias materiam vitioum expelleret; per *sudores* quidem, ubi tenuiore, per *urinas* vero, ubi crassiore materia refertum est serum, quamquam bilis major vel minor acrimonia ad hanc etiam rem conferre possit. Nonnunquam & insensibili transpiratione ob majorem seri tenuitatem, exspirat materia morbosifica, cuius si simul quædam partes crassiores, viscidioresque existant, ut per poros cutis exhalare nequeant, ab iis ad superficiem corporis delatis, ibidemque hærentibus, *pustulæ* quædam & *efflorescentiae* in labiis, aliisque cutis partibus excitabuntur, quibus febres curari quotidiana docet experientia. Hisce autem modis ex parte evacuata mali causa, reliquum ab *acidis*, *spirituosis* & *aqueis* sanguinis partibus, temperatur, & ad naturalem acrimoniam reducitur, quo facto & in aliis sanguinis partibus ab hoc malo orta labes, facile corrigitur, morbus profligatur, ægerque sanitati restituitur, tumque *Natura plenam de morbo victoriā obtinere* dicitur. Quæ evacuationes, si in principio aut augmento mali accident, cum tum temporis vitiōsi humores à bonis nondum secreti simul excernantur, vires prosterent, & ægrum in præsens vitæ periculum conjicient.

§. XXI. Posteriori vero modo, hoc est, *defectu* peccante bile, quod vix unquam fiet, quin simul aut pituita viscidior, aut *Succus Pancreaticus*, *Lymphave* acidiora sint, sponte curabitur illud vitium, ut in dictis humoribus dicemus.

§. XXII. *Succus* igitur *Pancreaticus*, ut jam experientia innotuit,

ruit, acidus peccabit primario, vel majore, vel minore aciditate, vel  
majore, vel minore copia. Si nimia aciditate, & copia peccet, ideoque  
Dolores lancingantes, algentes, frigus febrium intermittentium, fa-  
mem austam, &c producat, sponte curabitur, si æger aëre utatur ca-  
lidiore, & cibos, si alii humores simul peccantes illud non impediant,  
majori copia afflumat præfertim, si simul medicamentosi sint, quales  
hoc in casu sunt omnia aromatica. Corporis exercitiis, vigiliisque,  
quantum ferre potest, indulget. Abstineat ab omni animi mæro-  
re. Iræ vero mediocri locum si concedat, quoad affectum nihil no-  
cebit. Ab aëre enim caldiore acidum temperabitur, bilisque red-  
detur acrior, quod idem fiet, si aromaticis utatur alimentis. Condu-  
cet autem ciborum copia, quia in illos agens acidum vires suas di-  
minuit, nec proinde tanta vi, ac alias solet, in bilem agere potest, unde  
illa acrior facta acidum magis temperat. Exercitia vero, & Vigilie  
bilem & acriorem, & magis mobilē efficiunt. A mærore autem ab-  
stinere debet, quippe à quo augeri in nobis acidum in melancholicis  
tam manifesta evincit experientia, ut de eo dubitare non licet. I-  
ram vero bilem commovere, eamque exagitare notum. A quibus cau-  
sis, cum illæ ulteriore acidi generationem impedian, bilisque pro-  
moveant, partim acriore facta bile, partim diminuta aciditate Succi  
Pancreatici, bilis ad intestinum continuo confluens, majorem vim  
adæpta, reliquum, quod est in succo Pancreatico, acidi temperabit,  
temperatumque sèpe eo, quo dictum est. §. x x, modo expellers.  
Minore vero & copia & aciditate peccans succus Pancreaticus corri-  
getur eadem, qua in bile acriore utendum diximus, instituta Diæta.  
*Lympha* vero, cuius aciditatem, & cum Succo Pancreatico affinita-  
tem varia sunt, quæ probent, eodem modo peccare, iisdemque à cau-  
sis curari apta nata est. Hoc solum discrimine, quod omnia, quæ dicta  
in tenui intestino ad curandum succum Pancreaticum faciunt mu-  
tationes, in curanda Lympha in corde fieri censi debant.

§. X X I I. Præter bilem, succumque pancreaticum in tenui in-  
testino reperitur *Pituita*, cuius primaria vitia sunt, vel nimia vi-  
sciditas, vel nimia abundantia. Quibus ubi laborat, Appetitum pro-  
stratum, Alyum astrictam, Dolores gravativos in variis partibus, va-  
rias in corpore obstructiones, Dolores flatulentos, Colicos, &c. produ-  
cit. Quæ sponte curabuntur mala, si non nimis inveterata sint; si æger  
ab omnibus alimentis viscidis abstineat, imo omnia alimenta minori  
copia usurpet, si corpus exerceat, aëre utatur calido, à nimio somno,  
otio,

otio, Mætore fibi caveat; illa enim pituitam in nostro corpore cumulare solent, quæ ab aëre calido, exercitiis magis dissolvitur, ut a statis tempore omnes humores fluidiores fieri observamus. Nocere vero alimenta viscida per se paret; minor autem eorum copia tum Bilem, tum Succum Pancreaticum, ob jam dictas rationes, acriora, & ideo majori vi pituitam incidendi prædicta relinquet, à quibus omnibus Pituita sensim magis, magisque soluta nonnunquam ad sanguinem transit, nonnunquam vero à Bile acrimoniam suam, quæ à visciditate antea infracta erat, exerente, & *alvifluxum* procreante expurgatur. Ad sanguinem vero delata à bile, utpote sale volatili abundante, in cor confluente magis alteratur, inciditur, sero, ut de viscidis partibus dictum est. §. XIV. permiscetur, & materiæ, quæ in salivam abire solet, similis redditur, quæ cum proinde majori copia tum temporis hæreat in sanguine, ab eo etiam majori copia in *Glandulis Salivalibus* discernetur, sive per *Salivationem*, qua non raro morbos pituitosos curari docet praxis, excernetur. Unde non difficulter ratio reddi posset, quomodo à *Sale volatili* diutius usurpato in blandas, nullisque cumpericulis, qualibus obnoxiae sunt ex; quæ à *Mercurio* excitari solent, conjunctas *Salivationes* ægri sèpè incident.

§. XX I. V. Ex tribus autem his humoribus in tenui intestino concurrentibus, varioque modo peccantibus, & tum in se, tum in Chylum vitiis agentibus quam plurima compositorum morborum producuntur genera, *Febres intermittentes*, tum ratione accessionum paroxysmorum, tum ratione Symptomatum diversæ; *affectiones Hypochondriacæ*, earumque variæ species *Scorbutus*, *suffocationes uterinæ*, &c. variaque alia in variis partibus mala; quæ multo difficilius à *Natura*, sive sponte sine medicamentis curantur, quam simplicia humorum vicia; curari tamen, si levia hæc mala sint, nonnunquam possunt; quod ut fiat, & quali utendum *Dæta*, & quo pacto humores, ut hæc mala tollant, in se mutuo agere debeant, ex simplicibus enarratis humorum viciis, eorumque curatione colligere est.

§. XX V. *Serum* vero, quod naturaliter in corpore nostro insipidum est, vix nisi cum eo humores aut *viscidi*, aut *acidi*, aut *bilio* permiscentur, in qualitatibus vitiari contingit; quæ proinde vicia mutatis iis, quæ ea sero communicant, de quibus actum, curabuntur. Per se tamen primario peccare potest nimia *abundantia*, unde *Hydrops Ascites*, *Pectoris*, aliarumque partium, *Anasarca*, tumores in variis partibus, & præcipue in cruribus cedematosi, &c. ortum habent. Quæ

abundantia ut mintatur, abstinere debet æger à nimio potu, potulentisque cibis, sic enim copiosior seri impedietur proventus, quo impedito *bilis* vel per *alvifluxum*, *vomitum* ve, vel præsertim si æger corpus aëre calidiore existente modice exerceat, per *Sudores urinasve serum* evacuabit. Qua copia ex parte diminuta, *Natura*, quæ prius onere gravata erat, levatur, reliquumque *alacrius* commutat & expellit, hoc est, ex parte diminuta seri quantitate, quæ ne salbilis commode sui effeta exhibere possit, id diluendo obstaculo erat, *bilis* acrior reddit, copiosum serum per eam evacuationem, per quam efferri cœpit, ex corpore ejicit, donec illo, quod abundat, evacuato morbus curatus fuerit.

§. XXVI. *Salivæ* vero varia etiam sunt vitia, ut cum vel aquosior, vel pituitosior naturali est, vel sapore *salso*, *acido*, vel alio quoque, (naturaliter enim est insipida) prædicta; quæ vitia, varias tum in ore, tum in Ventriculo pariunt molestias, quæ tamen cum ab aliis vitiōsis humoribus cum *Saliva* mixtis pendeant, non necesse est, ut quomodo sponte currentur hic ostendamus, cum illis vitiōsis humoribus eo, quo diximus, modo, curatis & hæc in *Saliva* vitia ab illis orta curata sint. Quod etiam de spiritibus animalibus verum est. Illi enim vel torpidiores redduntur ob pituitæ permixtionem, vel ab eadem nervos comprimente, aut obstruente in motu suo sistuntur, sicque Paralyssin producunt, vel irritata ab acri vel humore vel flatu parte nervosa vitiōse agitantur, convulsionemque, motusque efficiunt convulsivos; quæ quoque vitia curatis illis, à quibus pendent, humoribus curantur.

§. XXVII. Hoc autem modo vitiōsæ in sanguine qualitates sponte absque medicamentorum ope curabuntur. Ejus vero abundantia *Hæmorrhagiis* variis tollitur, quod cum sit dicitur *Natura* onere oppressa, & quasi extincta miris conatibus supervacuum molam per nares, per uterum, aut mariscas à se tanquam à cervicibus depellere. Quod, quomodo fiat, explicavimus §. xx. Illa enim quæ ibi ab acrimonia humorum fieri dicuntur, ab eorundem abundantia vasa distendente, & magis magisque distendendo tandem rumpente fieri possunt.

§. XXVIII. Sicque breviter ostendimus, quo pacto ex humorum mutua in se actione sine ulla intelligentia sponte, hoc est, sine medicamentis sola *Diæta*, plerique morbi curari possint. Notandum tamen, etiam illis, qui illas, quas in humoribus concipio, qualitates non admittere, facile idem persuaderi posse, si consideraverint omnes aut primarios morbos, vel à *Bile*, vel à *Pituita*, vel ab *Acido*, quocumque

que demum loco in corpore reperto , ortum trahere. *Acutos enim à  
bile, Chronicos à pituita dependere, vulgatum est axioma.* Acidum ve-  
ro ut plurimum his , s̄æpe vero illis permisceri symptomata demon-  
strant; & præterea perpendent, hos humores aptos esse, ut in se agant,  
vitiaque huic vel illi humoris illata corrigan. Primo enim *bilem*, sive  
à sanguine non iterum eo permiscenda in Hepate separetur , sive in  
eodem sanguini admisceatur , quam litem nunc non facio meam , in  
ipso sanguine temperari , sanguinis sapor non amarus , sed in sanis insi-  
pidus comprobatur. Idem in intestinis fieri probant excrementa alvi  
non amaricantia, ut ex eo, quod canes ea comedant, constare potest,  
cum tamen plurimum iis permisceatur bilis. Unde & in sanguine , &  
in intestinis aliquid , quodcumque demum illud sit, adesse quod bi-  
lem temperare possit , manifestum. Acidum secundo temperari ex eo  
constat, quod s̄æpe manifesta aciditatis , sine acido sanguine adsint  
indicia, & quod illa , quæ acidum potentissime temperant, salia nem-  
pe volatilia oleosa in corpore nostro reperiantur , ea enim in bile esse  
extra dubitationis aleam est. Dari autem, quæ *viscidam materiam* in-  
cidere possint , ex iisdem paret, cum illud & salia volatilia, & acida a-  
gere testentur omnes practici.

§. X X I X . Ex quibus omnibus tandem concludi potest , *morbo-  
rum* sponte desinentium *curationem* pendere primario , à trium humo-  
rum *bili*s, *pituitæ*, & *acidi confluxu*, qui duobus in locis fieri solet , in  
*corde*, & in *tenui intestino*, in quorum igitur alterutro quærenda *Natu-  
ra*. Cum autem morbi, qui à vitiosis in tenui intestino confluentibus  
humoribus oriuntur , curari ex illo solo confluxu non possint, nisi  
etiam sanguis, (ex quo cum separentur illi humores, quamdui ille vi-  
tiosus existet vitiosi separabuntur , & vitiosi in tenue intestinum con-  
fluent) corrigitur, quod à sanguinis in corde effervescentia sit, cumque  
ea recte se habente , pleraque alia in bono statu sint , non immerito  
primarium in morbis sponte curandis officium dictæ sanguinis ascri-  
bemus *effervescentiæ* eamque *Naturam* appellabimus.

§. XXX . Reliqua tria *Naturæ* effecta, cum ex prioribus non ita  
incommode eorum causæ deduci queant, breviter tantum perlustra-  
bimus. IV. igitur. *Natura ad morbos curandos excitare dicitur febres.*  
ubi notandum. I. *Febres*, quamquam variis morbis conducere possint,  
ut annotavit Hippocrates aph. xxvi. Séct. II. Πυρελάν ἐπὶ σπασμῷ βέλον  
γνήδ. ή σπασμὸς ἐπὶ πυρελᾷ. *Febris convulsioni supervenire satius est,*  
*quam convulsionem febri*, & plurimis aliis in locis, eum tamen in fi-

nem non excitari, ut morbos curen, quia propter finem actio in rebus corporeis non datur, sed per accidens tantum contingere, ut humores, febrem excitantes, simul etiam morbi causam corrigere apti sint. II. *Febrem talem esse in sanguine dispositionem*, ex qua sequatur *Pulsus praeter Naturam frequentior*. Hunc enim Pathognomonicum febris signum esse ostendunt Practici, qui ægri arrepta manu, & explorato pulsu statim judicant de febre; qua exploratione nihil percipiunt praeter calorem aut frigus manuum, & varias Pulsus differentias. In febre autem manus nunc calet, nunc friget, omnesque pulsus differentiae praeter solam frequentiam, quam semper in febribus quibuscumque adesse testantur omnes, commutantur, & non tantum in hoc aliter, quam in illo subjecto se habent, sed & in uno eodemque subjecto pro variis temporibus, variisque febri conjunctis symptomatis diversimode. Pulsus autem praeter naturam frequentiorem producere possunt, tum *bilis acrior*, ut ex febribus ardentibus, tum *Succus Pancreaticus*, *Lymphæ acidiora*, ut ex principiis febrium intermittentium, febribusque Catarrhalibus dictis, constat; qui proinde humores febrim excitare possunt. Æger igitur morbo à Pituita orto, Paralyssi puta, aliquo simili laborans, si ex acribus humoribus, vel biliosis, vel acidis in corpore existentibus apprehendatur febri, ea ad morbi prioris curationem illi conductet pituitam acrimoniam humorum febrim excitantium, incidendo. Quod si vero acrimonia acida in eo peccet, ut fieri solet, in Convulsionibus, motibusque convulsivis, à bile excitata febre, illa temperabitur, eaque temperata morbus curabitur. Quæ sane Naturæ ascribentur curationes, quatenus ipsa febris in *vicio illa*, quæ in Corde fit, effervescentia consistit.

§. XXXI. Dicuntur praeterea à *Natura in actum deduci medicamenta*. Ad medicamenti enim actionem requiritur. I. Ut *Natura non extincta* sit, hoc est, ut illa in corde effervescentia non abolita sit. Hoc enim in casu omnia medicamenta, nihil agere possunt, quia ad sanguinem, ubi eorum requiritur actio, pervenire nequeunt; ea si excipias, quæ maxime spirituosa statim ac ori infunduntur in omnes partes se diffundunt, qualia in *Syncope summo cum successu*, exhiberi solent: Quæ tamen, ubi *extincta* est *Natura*, nihil etiam præstare valent, quia subjectum, ut patiatur, sive ut ita alteretur, quo effervescentia redintegrari possit, aptum non est. II. Ut *Natura non sit nimis debilitata*, sive ut illi humores, qui ad effervescentiam concurrunt, non sint ita witiati, nec tam longe à naturali statu recesserint, ut medicamenta etiam

iam optima iis alterandis non sufficiant. III. Ut medicamenta ad illas partes deferantur, in quibus mutationem inducere debent, quod totum à corporis nostri constitutione, non vero à medicamentis ut plurimum pendet. Non enim ut vulgo putant, dantur medicamenta *Stomachica*, *Hepatica*, *Cardiaca*. &c. sive peculiari vi in has potius, quam in illas partes agendi prædicta, sed omne medicamentum, quodcumque tandem illud sit, æqualiter in omnes partes, ut Circulationis leges requirunt, fertur, & ubicunque materiam, quam commutare aptum est, invenit, illam, quantum potest, immutat. Causæ enim naturales, cum nulla voluntate, nullo regantur arbitrio, semper agunt id, quod age-re poslunt. Quæ requisita, cum ab effervescentia in corde facie dependant, Naturæ non immerito ascribuntur.

§. XXXII. Restat adhuc, ut inquiramus, quomodo *Natura* medicamentis assuescat. Quod duobus modis fieri dicitur, vel quando *alterantia*, quæ in principio conducebant, ægrique mala leniebant, medicamenta, postea nihil agunt, nec expectato levamine ægrum recreant; vel quando *Purgantia*, *Sudorifera*, *Diuretica*, aliaque *evacuantia* primo quidem exhibita illud, ad quod destinata sunt, peragunt, saepius vero assumta & Medici & ægri expectationem fallunt, nullamque evacuationem, quam ob rem exhibita fuerant, instituunt. Quod inde fieri potest, quia omnia medicamenta, et si iisdem quidem indicationibus inserviant, eas tamen non eodem modo præstant, sed saeppe diversis plane modis, et si in eundem finem conspirantibus agunt. Sic et si pituitam viscidae incident & acida & aromatica, illa tamen plane diverso modo in eam agere extra dubium est. Imo inter ipsa aromatica adhuc magna occurrit diversitas, saepi enim ob adjunctas incidendi viribus alias qualitates illud præstant quædam, quæ alia medicamenta, aromatica quidem & incidentia, sed præterea alias vires habentia, efficere minime valent: quibus accedit, quod non omnes humorum, et si simplici vitio ii laborare dicantur, partes eodem modo peccent. Sic enim non putandum cum bilis sale volatili acriori peccare dicitur, omnes ejus salis partes eodem se habere modo, cum & inter ipsa salia volatilia maximam diversitatem dari, eorum & sapor, & odor, & effecta demonstrent. Præterea cum humores nostri corporis non simplices, sed ex variis compositi sint, quædam ex vitiosis humoris peccantis particulis, aliis ejusdem humoris partibus non vitiosis conjungi possunt, quibuscum aliæ vitiosæ ejus particulæ commisceri aptæ non sunt. Unde his potius quam illis accommodatum esse potest me.

test medicamentum. A quibus causis fieri potest, ut quædam humoris peccantis partes ab exhibito remedio temperentur, sicque ægri mala minuantur, reliquæ vero ab eodem remedio corrigi nequeant; ac proinde ut iisdem quidem servatis indicationibus alia utendum sit remedii materia, & tali quidem, quæ superstites vitiosas humoris particulas corrigerre idonea sit, si totum ægri tollere velimus malum. Quod non difficulter *Evacuantibus* applicari potest. Illa enim sæpius exhibita illas partes, quas ita alterare, ut evacuatio sequatur, apta sunt, omnes è corpore evacuare possunt. Unde cum non adsint amplius, in quos ita agere possint, humores, sine fructu, saltem quoad Evacuationem usurpantur.

§. XXXIII. Quæ omnia tandem huc redeunt, ut concludamus eam, quæ in Corde fit, mutationem pro *Natura* habendam esse, cum ex ea pleraque minoris momenti effecta ab *Authoribus Naturæ* attributa, deducere non difficile sit, quæ proinde brevitatis causa retinere, necesse habeo. Non diffiteor tamen quædam inter ea reperiri, quæ primario alii causæ, quam *effervescentie in Corde factæ originem suam debent*. Qua in re non satis sibi ipsis consentanea loqui *Autbores existimem*, cum ea particularia partis alicujus, aut humoris in una parte existentis effecta sint, quæ falso proinde *Naturæ* ascribuntur, cum ea pro generali eorum effectorum causa ab omnibus habeatur.

§. XXXIV. Sic autem quantum in nobis fuit, investigavimus, quidnam illud sit quod *Naturam* vocaverint, aut vocare debuerint veteres Medici. Rectius tamen eos facere arbitrор, qui à *Naturæ nomine*, (quamquam illud, ut plebi, quæ ob *Anatomes imperitiam* veras morborum causas intelligendi incapax est, specioso, & quo jam assueti sunt, nomine satisfiat, in *Praxi utilitatem suam habere non negaverim*), ubi de veris morborum causis quæstio est, abstinent, cum ex ejus usu tot obscuritatibus involuta sit Medicina, ut qui veterum medicorum Theoriam contemplatus fuerit, facile videat, eos nobis pro functionum nostrarum tam integrarum, quam læsarum causis non tam res, quam *Naturam*, *Facultates*, *Qualitates occultas*, *Idiopathias*, & plura istiusmodi nomina, quibus nihil rei subest, obtrusisse. Quibus sane nominibus si abstinerent Medici, resque potius sectarentur, optima spes concipi posset, artem Medicam, tam in curatione, quam in causis indies perfectiorem, concinnioremque evasuram.

F I N I S.



